

DISSERTATIO JURIDICA 1933

DE

TEMPERAM-
 ENTIS JURE-
 CONSULTORVM,

QVAM

PRAESIDE

JO. FRIDER. WERNHERO, D.

P. P. CVR. PROV. SCABINAT. ET. FAC. JURID. AS-
 Sessore RESP. SVBST.IN ACADEMIA VITENBERGENSI
 EJVSQVE AVDITORIO JURIDICO

D. APRIL. MDCCXXXIII.

PVBLICE VENDILANDAM

PROPONET

JOANNES FRIEDERICVS MEINHARD
 DRESDENSIS

EX OFFICINA SCHLOMACHIANA.

DISSERTATIO JURIDICA

TEMPERATA

MENTIS JURE

CONSULTORVM

PRÆSIDE

JO FRIDER. VERNHERO D.

R. F. CUR. PROFESSORIALI ET FAC. JURID. AS

SESSORE RESID. SVB

IN ACAD. SMI. N. TEMERGENSI

ELVSQVE AVDITORIO JURIDICO

PUBLICÆ VENDITANDÆ

JOANNES FRIEDERICVS MEINHARD

DRESDENSIS

EX OFFIC. SCHEUBNERIANÆ



VIRO
EXCELLENTISSIMO CONSULTISSI-
MO AMPLISSIMO

CAROLO GVILIELMO
BEYERO

ICTO, CELSITVDINI REGIAE et SE-
RENISSIMO ELECTORI SAXONIAE-
A CONSILIIIS IN SVPERIORI RATIONVM
PVBLICARVM COLLEGIO

PATRONO MEO OPTI-
MO MAXIMO.

VIR
EXCELLENTISSIME CONSVLTVS.
SIME AMPLISSIMEQVE

PATRONE
OMNIREVERENTIA PIE
COLENDE

Quod pridem præstare debui, VIR
EXCELLENTISSIME AM-
PLISSIMEQVE, ut monimen-
to publice constituto, et meam obsequii re-
ligionem et grati animi sancte testifi-
carer,

carer, id nunc ago, eaque religione a-
niminum exsolvere audeo, qui Dissertatio-
nem hanc NOMINIVO nuncupo. Ide-
nim etsi jure quodam suo postulare vide-
tur, et Voluntatis TVAE benevolentiae que
erga me amplitudo, et pervulgato fit cli-
entium more; Peto tamen abs TE rogoque,
uti hanc operam, qua nihil ad splendorem
TVVM relaturum me puto, saltemq; data
Sanctissimi mei officii significatione pie fa-
cturus videor, libenter, uti soles, accipias,
nec tam conditione sui, quam ejus, qui de-
dicavit, metiare. Quo circa spei meae
fructum quam amplissimum percepisse
videbor, si hanc mihi veniam dederis,
fecerisque potestatem, ut in TVO Præ-
sidio Patrocinioque conquiescam, et
pro

pro TV A incolumitate vota faciam, precat-
tus Deum, uti TE prosperum semper sta-
tuat ac felicem, eique felicitati tempus ad-
dat quam longissimum.

EXCELLENTISSIMI
NOMINIS TVI

cliens obsequiosissimus

JOANNES FRIDERICVS MEINHARDT.



CAP. I.
DE TEMPERAMENTIS IN GENERE

§. I.



Antiquissima est de Temperanti-
doctrina, atque a veteribus, Ari-
stotele, Hippocrate, aliisque, ad
nostram ætatem usque propaga-
ta. Mens illorum hæc erat, ut ista
voce mixturam & proportionem
diversorum humorum & parti-
cularum in corporibus, præsertim humanis, existen-
tium innuerent. Neminem enim latere potest, tem-
perare Latinis esse, rem ad mediocritatem quandam
reducere, dum v. g. vinum generosius aqua diluitur &
temperatur. In corporibus pariter humores, aliaque, si-
bi primo obrutu plane contraria & pugnancia, depre-
henduntur, quæ tamen se invicem ita blande tempe-
rant & modificant, ut, quæ singula noxia corpori-
busque

ribusque aduersa videri poterant, amico cohæreant consensu, & per eadem corpora ex discordibus feminibus optime iuncta evadant. Eodem plane significato & Græci temperamentum voce: *υγείας*, extulerunt. Alii verbo *mixturae* utuntur. Alii temperamentum *complexionis* vocabulo insigniunt. Nam & hoc diversarum rerum conjunctionem, comprehensionem vel confusionem denotat. Plerumque ergo sub temperamentis intelligunt justam omnium qualitatum proportionem a debita principiorum mixtura oriundam, seu, dispositionem corporis a legitima & ordinata stuidorum mixtione, atque debita solidorum textura, pendentem, describente ita B. VATERO *Physiol. Sect. IV. Cap. III. tb. I.* STAHL. *Dissert. de temperam., & WALDSCMID. Instis. Med. ration. Lib. I. Cap. VI. §. 1.*

§. I.

Sat confidenter Antiquiores doctrinam de temperamentis adstruxerunt, & varia hinc deductum ierunt. Extant ea de re integri Galeni, & aliorum, tractatus. Inprimis vero ad quatuor principia, choleram flavam & nigram, phlegma & sanguinem, omnem rem reduxit HIPPOCRAT. *Tr. d. nat. hum.* ita scribens: τὸ δὲ σῶμα ἢ ἀδρόπειά ἔχει ἐν ἑαυτῷ αἷμα καὶ φλέγμα, καὶ χολῆν διττήν, ἢ γὰρ ξανθὴν καὶ μέλαιναν. Ueberius Hippocratis doctrinam explicat ISBRAND. *de DIEMERBROECK. Anatom. Corp. hum. Lib. II. Cap. XII. p. 530. dicens: Pituita est sanguinis illa pars, quae ex chyloracer confecta, (sive plus, sive minus sulphuris aut salis in se contineat, eodem redit,) nec multoties circulata & in corde dilata, sed crudior ac minus spiritiosa. Sanguis pu-*

purissimus est illa pars massæ sanguineæ, quæ pluries circu-
 lata, & in corde dilatata, ad mediocrem spirituositatem
 pervenit. Bilis est illa pars, quæ per frequentiores circula-
 tiones ac dilatationes ad majorem tenuitatem exaltata est,
 maximeque spirituosa ac fervida evasit. Melancholia est
 illa pars, e qua per plurimas circulationes, & in corde fa-
 ctas attenuationes, spirituosa particula magna ex parte e-
 ducta sunt, atque hinc frigidior, crassior, & magis terrestris
 remansit. Ex istis Hippocratis, aliorumq; traditis distin-
 ctio temperamentorum decantatissima in sanguine-
 um, phlegmaticum, cholericum & melancholicum, e-
 nata est. GALENVS d. temperam. L. I. prima semina statu-
 it, calidum & humidum, frigidum & siccum, & dehinc
 novem temperamentorum classes ordinat. Primum
 vocat temperatum, in quo nullum ante commemora-
 torum principiorum excedit, aut deficit. Non tempe-
 ratas mixturas habet vel simplices quatuor, ubi aut ca-
 lor, aut alia qualitas dominatur, vel compositas, ubi
 duæ qualitates prædominantur. Hinc numerat in non
 temperatis mixturis temperamentum vel calidum,
 vel frigidum, vel humidum, vel siccum; præterea vel
 calidum & humidum, vel calidum & siccum, vel frigi-
 dum & humidum, vel frigidum & siccum. Quæ omnia
 cum doctrina Hippoc. sat feliciter conciliari possunt.

§. III.

Istis ab Hippocrate & Galeno, aliisque, suggestis præ-
 ceptis plurimi inhæserunt; imo, uti patet ex GALE-
 NO, cit. Tr. cuilibet corporis parti peculiariora dicata sunt
 temperamenta, v. g. cerebro phlegmaticum &c. Mul-

ti vero, quod fieri solet, ne ingenii obtusioris, minusque sagaces vereribus viderentur, alia substituerunt vocabula, eandemque rem nomine peregrino exprimere fategerunt. Hinc Paracelsistæ Sal, Sulphur & Mercurium, surrogarunt. Alii rem ad numerum Planetarum exegerunt, atque temperamenta in Solare, Lunare, Martiale, Mercuriale, Joviale, Venereum & Saturninum diviserunt, ita tamen, ut reapse cum prioribus ipsis conveniret. Rursus, alios, rem omnem per modos exprimendo, a prioribus non multum recessisse, asserit WEDEL. *Physlog. reform. Cap. VII. num. 3. p. m. 143.* ita ratiocinans: *in mentem nobis hæc vocant communissimum malum, sæpe altercari non tam homines, quam eruditos, de re, in qua consentiunt, solo sæpe terminorum lusu decepti, vel non uno modo philosophantes ex ipsa rerum natura. Philosophi & Galenici in excessu fere de temperamentis egerunt, in hoc extra oleas vagati, quod unice eadem elementis superstruxerint, Chimici & recentiores in defectu, impugnantés potius eadem & negantes omnino, non esse, nisi modum rebus superadditum &c. Ubidis temperamenta modum dicunt, & modum constituunt, modum vitæ & modum mixturæ &c. Tantum itaque abest, ut temperamenta, hoc modo sumta negari possint, vel negentur ab ipsis, qui vel maxime contradicunt &c. Quod WEDELIVS de modis asserit, id etiam ad reliquorum doctrinam quadrat. Nam Galeni distinctio responderet Hipocratis doctrinæ, dum cholericum temperamentum calidum & siccum; sanguineum, calidum & humidum; melancholicum, frigidum & siccum; phlegmaticum, humidum & frigidum, prædicant. Pariter Paracelsi sulphur referri solet*

let ad choleram, fal ad melancholiam, & Mercurius ad sanguinem. Præterea cholericos Marti, Saturnum melancholiæ, Venerem sanguini & phlegma Lunæ associant. Ne tamen reliqui Planetæ ἀσύμβολοι discedant, Solem Jovemque Marti, Mercurium Lunæ, Jovem patri suo Saturno adjungunt; at Venus Solem Mercuriumque sibi rivales asciscit. Sed injuria inferitur Soli, dum Veneri jungitur, & Mars excluditur, cum, si fabulosis res implicari debuit nominibus, attendi debuerit, Marti cum Venere optime convenisse, Solem vero arcana Veneris Vulcano prodidisse. Alii satis incommode rem ad elementorum numerum exigunt, choleram igni, melancholiam terræ, sanguinem aëri, & phlegma aquæ, comparantes. Rursus alii leones & urfos cholericis, asinos melancholicis, sanguineis hircos, & phlegmaticis sues addunt sodales. Quoscunque ergo ex ante recensitis auctoribus sequaris, res eodem fere recidit. Saltem sub alia atque alia facie eadem opinio sæpius in scenam prodit. Mirum itaque nec est, plurimos hodiernum veteres sequi, & de temperamentis doctrinam, aliis licet quandoque nominibus expressam, ceu primam philosophiam, habere, atque adeo fixas in multorum animis radices hanc materiam egisse, ut omnia ad temperamentorum modum plurimi dimeriantur. Propterea ex colore, voce, vitæ genere, sermonibus, actionibus, vitiis potissimum conspicuis, sanguine, insomniis, ἡλιεία &c. temperamenta dijudicant, atque ex his omnes animi motus, indolemque totam, se hariolari posse, existimant.

§. IV.

Colorem faciei melancholicis lividum, pallidum veni-
gre-

gredine tinctum; cholericis nigrum, rubore mixtum, sanguineis albicantem & rubentem; phlegmaticis pallidum & albenstem, assignant. Imo & ad animalia bruta hoc trahunt nonnulli, & equos rufos, cholericos; nigros melancholicos; albenstem phlegmaticos; flavos autem sanguineos, habent. Idem de canibus &c. judicium formant. Lepida philosophia! Mirum, ita solo baculorum aspectu oves omnium temperamentorum generari potuisse. *Gen. XXX.* Patet, omnia hæc ita comparata esse, ut magis ad ingenii lusum pertineant, quam quod solidi quid in istis lateat. Primo enim solo Jacobi exemplo, unde color oriri possit, docetur. Deinde hæc ita afferuntur, quia cujuslibet ideæ, quam de temperamentis singulis tenet, respondere videntur. Quæ ipsæ ideæ cum variant, neque in coloribus ascribendis Temperamentistæ conspirant, & v. g. WALDSCHMID, *Inst. Med. rat. Lib. I. Cap. VI. §. 5.* cholericis faciem pallidam cum aliquali virore, qualem Judæi habere solent, tribuit. Porro variæ & innumeræ particularum mixturæ id efficiunt, ut quandoque longe aliud credatur, quam revera deprehenditur. Nec minus plurimæ circumstantiæ rem ipsam immutant; v. g. vitam sedentariam agentes plerumque pallidiores comparent; color etiam cholericis tribuitis, nigricans & rubens, haud raro sanguinis inflammati aut acris, seu caloris aucti, non leve præstat indicium. Et morborum semina, in corpore longo sæpe tempore delitescunt, aliam faciem effingunt. Deprehendes eos, quorum morbus gravior aut mors appropinquat, multo ante tempore alium, eumque lividum, induere colorem, ac

vul-

vultumque in faciei Hippocraticæ formam componere. Et respotest ita esse comparata, ut plurimis annis vis morbi lateat, quod exemplo veneri chronici, variorum ac morbillorum, illustrat, &, quomodo id fieri possit, disputat WALDSCHMID. *Not. ad Timæum von Gilt den Klee/ L. VI. Cas. 22.* Add. ipse TIMÆVS *Epist. Medic. Lib. IV. Epist. XVI. p. m. 760.* Perperam igitur ex colore de temperamentis judicabis, cum frequentissime alia causa subsit. Dicis: statum morbidum a sano separandum. Sed suggere nobis criteria status morbidi latentis. Instas: junctis aliis de temperamentis dogmatibus, hæc addisci posse. At causa minima omnia fere sæpius alterat, ut quis tristior, tardior, patientior &c. quam est, videatur. Ait ergo PAVL. AMMAN. *Instit. Medic. Cap. VI. §. 3.* quo enim modo scio v. g. hunc exacte esse melancholicum, ex solo colore faciei? fallax is est, non secus ac roseus color vulgariter non habetur pro signo phthi-
seos.

§. V.

Vocem vel solis cibis, quibus delectatur aliquis, alterari, res est Cantoribus nota; &, qui acidistantum, austeris aut bene salicis, frequenter fruitur, asperiori magis voce gaudeat, oportet, quam ille, qui mitioribus vescitur. Explodendum ergo est assertum; quod cholericis voce clara & sonora, melancholicis sonora & aspera, sanguinei clara, molli & foemineos sonos imitante, phlegmatici aspera & foeminina prædici sint; in his etenim omnibus victus ratio, cui quis a pu-
B
ero

ero assuevit, aliæque causæ, omne punctum ferre possunt.

§. VI.

Vitæ genus, quod quis sectari amat, multo felicius aliunde, quam a temperamenti, deducitur; qui enim, quæso, fit, quod liberi, si res parentum ex voto succedere vident, studii ejusdem successores fieri præoptent, sin minus feliciter res parentum fluant, ab eodem vitæ genere abhorreant. Aliud nobilissimum exemplum dudum stitit Lycurgus, qui duos catulos, eadem matre simul editos, diversimode educavit, unum venationibus assuefecit, alterum domi desidem enutrivit. Postea in medio civium posuit offam, atque leporem dimisit; deses ille domi educatus ad offam se contulit, alter, spreto hoc ferculo, leporem infecurus est. Hunc forte cholericum & illum phlegmaticum judicasses; sed inepte, cum omne id ex educationis vitiopendeat. Quod nisi homines imprudenter educati, ætate & prudentia aucti, exuant, Hansellus & Johannes iidem remanebunt.

§. VII.

Sermones quod atinet, mille sapius & plures sunt causæ, ut nihil minus, quam animi sensa, prodere consultum sit. Itaque indifferentia plane multi in medium proferre solent, ne alii, quod caprent, habeant. Sapius hac ratione aliena, vulgaria, vile quid spirantia &c. a prudendissimis proferuntur, cum e contrario

rio

rio alii imprudentiores de gravissimis rebus quam liberissime philosophentur. Quapropter, qui, si occasio ita ferat, de esculentis potulentisque verba facit, non illico phlegmaticis, neque de re familiari loquens melancholicis, neque rustici, in popinis de mutatione Imperiorum, bellis imminetibus, regiminis forma &c. differentes, cholericis accendendi.

s. VIII.

Vitium cholericis domesticum perhibetur ambitio; melancholici avaritia laborare dicuntur; sanguineos libido vexare fertur, phlegmaticos autem gulæ ventrique litare, ajunt. Sed nullum horum vitiorum ita vni temperamento dicari potest, quin & aliud ingrediatur; sic libidinis exempla forte in omnibus temperamenti haud levia existunt. Paucissimos, nisi conservandæ sanitatis studium urgeat, temperantes circa dapes invenies. Docet etiam experientia, qui confirmari melancholia fuerunt capti, durante hoc statu, aut summum amoris oestrum, aut gravissimum ambitionis gradum, prodidisse, idque tunc imprimis, si potiri optatis non licuit. Deinde consuetudine multo plura contrahi solent vitia, quam naturalis appetitus fert. Quid consuetudo, at teneris insita, possit, ante dictum. Et sane, quo semel est imbuta recens, servabit odorem testa diu. Licet etiam postea id vitii corrigatur, tamen, naturam vel furca expellas licet, usque recurret. Sæpe homo valde frugi, in pravorum hominum consortia incidens, brevi tempore omni vitiorum genere obruitur, siquidem unica prava pecus totum cor-

rumpit ovile. Thomas de Kempis conquestus frequenter fertur, quod nunquam ab hominum consortio melior, sed quavis vice deterior, domum redierit. Rario in aprico est; solent plerumque homines, ubi conveniunt, inutilia & vana proferre, aliorum acta sub censuram vocare, & vel ipsum Momum superare, absentes nigro notare lapillo, risu jocisque, non raro plus quam scurrilibus, se invicem exhilarare, DEI aut nunquam, aut non cum debita animi mentisque devotione, meminisse &c. His animus, meditationibus sanctioribus ante immersus, ad mundana revocatur, atque sub specie hilaritatis, Joci urbanioris &c. piæ hominum mentes, alias cereæ in vitium flecti, illaqueantur, & uno verbo, boni mores colloquiis pravis corrumpuntur, monente Apostolo &c. Eadem consuetudo in causa est, quod integræ nationes vitiis suis endemicis affligi perhibeantur, juxta illud Itali:

Germani cunctos possunt tolerare labores,

O utinam possent tam bene ferre sitim!

Cui Germanus regeffit:

Vt nos dulce merum, sic vos Venus improba vexat,

Lex posita est Veneri Julia, nulla mero.

Et de Cretensibus ait Apostolus *Tit. 1. v. 12.*

Κριτες δει ψευσαν κηαδ' εθνη, γασερες αργυρι.

Olim Romani & Itali cæteroquin omnium fere virtutum, quæ a gentilibus expectari poterant, præbuerunt exempla. Hodie num idem de Christianis asseri queat, alii judicent. Gallos pariter quondam summam justitiæ & laudis bellicæ opinionem habuisse, patet ex J. CAESARE *de bell. Gall. Lib. VI. Cap. XXIV.* Hodie perfidia

fidia sua, & armis alienis, Helvetiis scilicet, inclaruerunt. Mirum vero, inter gentes, quas rudiores & barbaras appellant, singularis fidei monimenta frequentissima extare, at nationes excultas politasque, quas vocant, perfidiæ, fraudis & omnis generis imposturarum esse studiosissimas. Græci, quorum terræ ingeniis, opibus, scientiis & omnigena cultura florebant, admodum male ob perfidiam audiverunt, ut in proverbium abierit Græca fides, quam CICERO *Orat. pro L. Flacco* extantius depingit: *Verum tamen hoc dico de toto genere Græcorum Tribuo litteras, donulæ arum artium disciplinam, non adimo sermonis leporem, ingeniorum acumen, dicendi copiam. Deinde, si qua alia sibi sumunt, non repugno. Testimoniorum religionem & fidem nunquam ista natio coluit, totiusque hujus rei quæ sit vis, quæ auctoritas, quod pondus ignorant. Vnde illud est, da mihi testimonium mutuum? non Gallorum, non Hispanorum, putatur.* Galli, ergo cum Cicero hæc scriberet, sincerioris animi fuerunt, oportet. Hodie autem in Græcam fidem successit Gallica. Et jam non pauca similia monstra nostra Germania alere coepit, quæ omnia fraudibus agenda, & tunc hominum se prudentissimos, putant, ubi alios circumvenerint. Hæc omnis labes non est ex temperamentis, sed ex consuetudine. Si reducerentur antiquorum Germanorum & Gallorum mores, forte etiam fides pristina restitueretur. In Græcis, testante Corn. Nepote, laudi ducebarur adolescentulis, quamplurimos habere amatores, id Romæ, in Germania &c. infame, atque ab honestate remotum, positum fuit. Hodie pariter Galli, Itali, Germani &c. non multum a Græcis

B 3

abfunt.

absunt. Temperamenta autem nationum ita murata esse, ut ex cholericis, vel aliis, in sanguinea transferint, nemo, nisi insipide, asseret. Pariter, cum Regis ad exemplum totus componatur orbis, illico omnes subditos temperamentorum metamorphosin subire, haud facile sibi quis persuadebit. Ex istis vero simul colligi potest, non simpliciter consentiri posse HIPPOCRATI, qui plurima hominum vitia aut virtutes ex aëre, locis & aqua deducit, & v. g. cum Galeo Asiaticos excultos & politos, Septentrionales agrestes, nuncupat, atque *Tr. d. aëre, loc. & aq. sub. fin.* scribit: *οκόσοι λεπτά τε καὶ ἀνοδρα τε καὶ ψιλὰ, ταῖς δὲ μεταβαλαῖς τῶν ἀρχῶν ἔκινησαι. ἐν ταύτῃ τῇ χώρῃ τὰ εἶδη εἰκός τε σκληρὰ τε εἶναι, καὶ ἔντονα καὶ ξανθότερα, ἢ μελάντερα, καὶ τὰ ἦθο καὶ τὰς ὀργὰς αὐθάδεις τε καὶ ἰδιογνωμίας.* Potiorem situ locorum consuetudinem esse, ex dictis fat manifestum est.

§. III.

Illud autem valde absurdum videtur, quod hæc illave temperamenta magis ad pietatem idonea existiment, cum tamen in genere *יָצַר יְיָ לֵב הָאָדָם רַע מִנְּעוּרָיו* *Genes. VI. 5. & VIII. 21.* atque sic, quod singularis divinx bonitatis opus est, ad naturales facultates referatur. Cholericis & melancholicis, quod dura ipsorum mens sit, difficillime, phlegmaticis, ceu minus resistentes, facillime converti, sanguineos medios purant. Verum quisque suos paritur manes, & quisque, quod ipsum excitare, atque loco pædagogix esse possit, in se deprehendet. Cholerae prudentiam comitem faciunt. Si ergo

ergo prudens qui est, facile animadvertet, nihil verius & aptius dici potuisse, quam omnes impios esse stolidissimos, prouti in sacris literis nuncupantur. Ita, qui opera DEI non attendit, vir stultus & brutus עֵרֵךְ וְשִׁשְׁרֵר וְכִסְיוֹ vocatur, *Psal. XCII. 7.* Eodem stulti titulo insigniuntur, qui DEI existentiam negant, *Pf. XIV. 1. & LIII. 2.* Porro hunc censum subeunt omnes ingrati erga DEVM, *Deut. XXXII. 6.* adulteri, & quibusvis se poluentes voluptatibus, *Jerem. XXIX. 23. Prov. VI. 32. I. Tim. VI. 9.* calumniatores, *Prov. X. 18.* qui vanitatem sectantur, *Prov. XII. 11.* superbi, *Prov. XIV. 3.* dolum intendentes, *v. 8.* iræ indulgentes & præcipites ad illam, *Ecc. VII. 10. & Prov. XIV. v. 17. 29.* rixas excitantes: *P. XVIII. 6. & XX. 3.* se prudentes & alios stultos putantes, *Eccles. X. 3.* idololatræ & DEVM non sequentes, *Jerem. X. 8.* hypocritæ, *Matth. XXIII. 17. Luc. XI. 40.* avari, *Luc. XII. 20.* Paucis: omnes ipii, & qui tempum gratiæ negligunt, verbum DEI audiunt, nec faciunt, sunt in prædicamento stultitiæ, *Eccles. VII. 26. Matth. XXV. 2. & Matt. VII. 26.* E contrario a timore DEI initum sapientiæ suspenditur, *Prov. I. 7. & IX. 10. Psalm. CXI. ult.* ac, qui verbum DEI audit, & facit, vir Φρόνιμος est, *Matth. VII. 24.* Sed σοφία τῆς νόου τῆς πύλας παρὰ τῶν θεῶν ἐστίν, *I. Cor. III. 19.* Sapientis est, omnia prudenter, multa ἀνεύθειν, perpendere, atque ad finem referre. Finis autem vitæ & tristissima mortis imago brevi, quid facere expediat, docere potest. Morte perit totius vitæ labor irritus, & per hanc deplorata vora jacent, atque cuncti labores, pericula, machinationes ærumnæ & omnia, quæ, ut ambitioni alisque affectibus satisfaceret, vivus subiit, risui

fui aliorum aut contemptui, certe oblivioni, relinquuntur. In temporalibus multa tulit, fecit, est frigora passus, & imbres, ut honore, gloria &c. quæ citius bulla disparent, & quibus brevi iterum spoliandus est, potiretur. Jam vero inter canes juxta *Apoc. XXII. 15.* foras protruditur, damnatis & diabolis sociandus; qui cum DEO & Christo regnare, splendidoque Angelorum coetui mixtus, corona redimitus incedere, æternum potuisset. Hæc meditari, si omittit prudens, quisquis est. stultus est, non prudens, sive prævidens, qui tantum ea, quæ ante pedes sunt, non futura, prævidet & perpendit. Coram enim rem intueri, artis non est, sed futura, tanquam ex specula, prospicere posse, laudabile est. Nec prudens porro est, qui, neglectis magnis & principalibus, levia, vilia &c. sectatur, aut rem ad finem ineptum refert. Id omnes, qui, posthabitis divinis, mundana curant, faciunt. Præterea cum vulgo sapere prudentes pudet. Optant & prudentes & ambiciosi, singulare quid spirare, quo a vulgo, maximam hominum partem constituyente, distinguantur. Sed maxima impiorum cohors est. Quare, aut manifestissimis convictus rationibus, divina ceu altiora, omni pretio superiora, perpetua, nullisque mutationibus obnoxia, quæret, aut cum stultorum plebe sapiet tantus ille cholericus. Non multo alia melancolicorum, quibus avaritiam dicunt familiarem, fors est. Avarus egregie in hoc sibi prospicit, quod thesauros aliis relinquendos colligat, ipse vero regnum DEI summumque bonum, DEVM, ipsum amittat. Nam ὁ πλουυέκτης, ὅς ἐστιν ἐιδωλολάτρης, ἔχει κληρονομίαν ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ χριστοῦ καί

καὶ δεῦρ. *Ephes. V. 5.* Sanguinei, cum mite, molle, nec
 inexpugnabile, cor teneant, non nihil etiam timidiore
 prædicentur, facile quidem moveri, & ad pietatem exci-
 tari, creduntur; sed & rursus facile dimoveri possunt. Sunt
 illi plerumque, qui cum Dema, relicto Paulo, ad τὸν οὖν
 αἰῶνα revertuntur; *II. Tim. IV. v. 10.* item, quorum *Matth.*
XIII. v. 20. 21. mentio fit. Videas tales, qui tanto pie-
 tatis ardore capiuntur quandoque, ut vivi in coelum
 transire videantur, sed, nec horulae spatio interjecto,
 inter medias tripudiantis seculi choreas, excusso priori
 jugo, inveniuntur. Phlegmaticum, qualis vulgo de-
 scribitur, & quem aptissimum aliorum iudicio esse, an-
 te dixi, ego ineptissimum, si κατ' ἀνθρώπον disputare fas
 est, iudico. Ille oscitantia, somnolentia, negligentia,
 stupiditate seu ἀναιδησία, laborare perhibetur. Omnia
 talia; quæ longissime a pietate absunt. Vere pii ho-
 minis vita comparatur militiae & pugnae, non cum po-
 culis, nec hoste minus pertinaci; verum est ἡ πάλη
 πρὸς τὰς ἀρχάς, πρὸς τὰς ἐξουσίας, πρὸς τὴν κοσμοκράτορα
 τῆς αἰῶνος τῆς διαβολῆς. *Ephes. VI. 12.* Desideratur in
 pio, ut res omnis serio & fortissime agatur, ut certus
 ille sit, non cedere, ut omnes animi ingeniique nervos
 intendat, ne statione sua deturbetur, aut arce sua ejici-
 atur. Hinc Salvator noster nisum, ad introeundam sa-
 lutis portam, desiderat, & jubet ἀγωνίζεσθαι εἰσελθεῖν διὰ
 τῆς στενῆς πύλης, *Luc. XII. 24.* vult regnum coelorum per
 vim rapi, & ait: βίας ἀρπάξω αὐτήν, scil. τὴν βασιλείαν
 τῶν οὐρανῶν. *Matth. XI. 12.* Porro Apostolus *I. Cor. IX. v.*
24. ita currere jubet, ut brabeum consequamur. So-
 la somnolentia virgines illæ quinque stolidæ per-
 dide-

C

diderunt salutem, *Matth. XXV. 2.* & quod oscitantia sum-
 mopere advesetur pietatis studio, facile colligitur ex
Luc. IX. ult. ἑδείς ἐπιβαλὼν τὴν χεῖρα αὐτῆ ἐπ' ἄροτρον, καὶ
 βλέπων εἰς τὰ ὀπίσω, ἔυθελός ἐστιν εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ.
 Non possum, quin obiter hic moenam, dictum istud in-
 epte, uti mihi quidem videtur, explicari de iis, qui, reli-
 gioso studio Theologico, ad aliud se conferunt, cum so-
 lum studium regnum DEI non conciliet. Docet contex-
 tus, sermonem esse de iis, qui, vitæ emendatione susce-
 pta, ad mundana respiciunt. Erat enim, qui Christum
 sequi constituerat, sed domum reverti desiderabat.
 Hunc Salvator corrigit, & ad priora reverti, ho-
 mini pio fas non esse, docet. Amplius porcis aggre-
 gari solent phlegmatici, at margaritæ porcis non con-
 ducunt; prohibet iraque Dominus noster, δέναι τὸ ἅγιον
 τοῖς κύνι, καὶ τῶς μαργαρίτας βάλλειν ἐμπεροῦσθαι τῶν χοίρων.
Matth. VII. 6. Et porci in coeno post lavacrum, sive
 post conversionem, iterum volutantur. *II Petr. II. ult.*
 Phlegmaticos etiam, cuticulam probe curare satagentes,
 & se propterea, ut edant, naros putantes, adeoque
 ventrem pro DEO habentes, quid maneat, vide *Philipp.*
III. 19. His ita se habentibus, errat, quisquis phlegma-
 ticos, quia stupidiores, majorum scelerum in-
 capaces, hinc etiam proximos ad salutis portam consti-
 tuit. Experiundo didicimus, impudentes plane,
 eoque pessimos impostores, inter stupidissimos re-
 periri. Isti enim affectant prudentiam, quam
 non habent, eamque ex stultorum captu in fraudibus
 repositam putant, deinde alios se stupidiores habent,
 hinc impudenter admodum mendaciis, aliisque fraudi-
 bus

bus indulgent, atque ira, se invenisse, credunt, non quod pueri in faba; præterea, quia iudicio destituuntur, rem perpetuo rectam futuram, sibi persuadent; aut, quia pudorem exuerunt, si detegatur, id non curandum esse, apud animum constituunt. E contrario viro gravi & prudenti nihil molestius accidere potest, quam ad talia opprobria erubescere, cum ipse de nulla re potius, quam honesti viri fama tuenda, sollicitus sit. Illud ulterius nescio, quomodo alii cholero-melancholicos oprimos putent Theologos, eo, quod singularem bonitatis speciem præ se ferre sciant, quod auctoritatem ordinis sollicitè tueri studeant, & quæ sunt alia, quam longissime a fide, quæ non fucata esse debet, remota. Si vero desideras Sacerdotes Pharisæos, dominos & imperantes potius, quam pastores, non animarum, sed nummorum, cupidos; si vis ad omnem fraudem aptos, ingeniosos & impatientes magis, quam simplices columbas, patientesque injuriæ oves, nullus erit cholero-melancholico, uti communiter describitur, secundus.

§. X.

In summa: si naturales spectes hominum affectus, frustra quæres, quodnam temperamentum capacius sit bonorum coelestium. Ἐχθρὰ ἐστὶ θεὸν ἰσχυρὰ naturalis hominum inclinatio. Rom. VIII. 7. add. 1. Corinb. II. 14. Recte hinc B. Lutherus in explicatione Evangelii S. Matthæi: Wo gleich Teuffel und Welt todt wären/und dich zufrieden ließen, so würde doch dein Fleisch und sündhafte Natur dir gnug zu schaffen machen &c. & in

C 2

Com-

*Comment. ad Genesim Cap. XV. Juventus, deinde virilis
 etas, sentit sua mala. Exercetur enim caro libidine, ani-
 mus avaritia, ira, odio, & similibus affectibus, qui varie
 turbant mentes. Sed hec certamina sunt secundæ tabule,
 & paulatim extinguuntur. Cum id deprognatum videtur,
 nova & acrior pugna de prima tabula nos excipit, ut di-
 micemus contra presumptionem, gloriam & fiduciam, quam
 ipsi de nobis, propter dona nostra, habemus. Vana gloria,
 & fiducia propriæ vel sapientiæ vel justitiæ, tale peccatum
 est, quod pro peccato non agnoscitur, homines pro eo agunt
 gratias DEO, sicut Phariseus in Evangelio &c. Acce-
 dunt his millena alia, ut, si tecum singula reputes, &
 nihil præsidii in temperamentis invenias, & penitus
 de conversione & salute desperare cogaris. So-
 lus ergo DEVS, quod natura negat, gratia rependit, &
 τὰ ἀδύνατα παρὰ ἀνθρώπους, δύναντα ἐστὶ παρὰ τῷ Θεῷ. Luc.
 XVIII. 27. Quibus suppositis, ex sola facie externa ju-
 dicare, & v. g. pium hominem simpliciorum & phle-
 gmaticum, melancholicumve, putare, atque vicissim,
 quod externus habitus hominem rebus gerendis ine-
 prum sistat, eundem pium, bonumve credere, oppido
 stultum fuerit. Gravissime ergo sola oratione vul-
 gus peccat, quod simpliciores homines studio The-
 ologico, alios ceu excitatores, Jurisprudentiæ &c. di-
 cet, cum tamen nulla disciplina majorem prudentiam
 requirat. Agitur hic non de bonis, aut corpore, sed
 animabus. Hic non infidiæ humanæ, sed diabolicæ, à
 μωροῖς ἐχθρῆν profectæ, ab ipso pastore & grege aver-
 tendæ. Hic animi hominum accuratissime noscendi,
 ne, quod salutare est, non justo tempore propinatum,
 noccat.*

noceat. Hinc requiritur *II Tim. II. 15.* Episcopus, qui norit *ὁφθόμενόν τὸν λόγον τῆς ἀληθείας*, & sciat rempestive eloqui defesso verbum. *Esaï. L. 4.*

§. XI.

Neque ex sanguine, venis emisso, solidi quid judicare licet. Vtar *PAULI AMMANNI Instit. Med. Cap. XII. §. 4.* verbis: *Dicis, conspicimus vero post vena sectionem in sanguine, vel cruore, diversos colores, v. g. album, flavum, nigricantem. Ergo insunt sanguini quatuor isti humores. Puerile est hoc quorundam prædicantium ratiocinium, & iterum petit principium: hoc nigrum est, ergo est ab atra bile &c. Cur non pulex etiam est melancholicæ naturæ, quia niger est. Certe ex salu non apparet. Addit deinde §. 6. de sanguine venis ejecto, ejusque parte, quæ in patina subsedit, ac nigrior apparet, colorem nigricantem exinde esse, quod sanguis, qui est in fundo, aëri non sit expositus; non vero ex melancholiæ mixtura. Monet pariter, non omne, quod flavum est, a bile esse, nisi & crocum &c. biliolæ naturæ prædicare velis. De somniis *IDEM Cap. VI. §. 3.* etiam ita philosophatur: *Vnde scio, hunc esse melancholicum? ex insomniis, de rebus nigris? Vana hæc sunt.* Somniant ergo, qui putant, sanguineos somniare conversationem cum altero sexu, choreas, prata, coelos serenos; melancholicis vero dormientibus thesauros offerri aut furto furripi, tristia, ardua, difficilia, nunciari; ignes, tormenta &c. cholericis obversari, eos cum hostibus congregari, arma parare, bella præfagire, alta & difficilia moliri, &c. phlematicis pocula & dapes apponi, aquas mul-*

multas representari, & quæ sunt alia Phantasiæ & Morphei simulacra. Nam hoc modo quivis largis verbis maectatus est cholericus; pecunia destitutus, melancholicus; fame & siti confectus, phlegmaticus. Quod enim vigilantem turbat, id repetit sub imagine somni. Denique staturam sanguineis mediam, ob mixtum calidum & humidum; cholericis, ob siccitatem, minorem; phlegmaticis & melancholicis longiorem, illis succiplenam, his macilentam, assignant. Sed, cum hæc non majoris sint momenti criteria, quam, quæ hæctenus excussa, nolumus istis figmentis diutius inhærerere.

§. XII.

Id saltem dicimus, loco superius citato GALENUM recte docuisse, non, nisi unum esse temperamentum. Vult hoc ipsa vox. Quod enim in aliquo excedit, aut deficit, sive calidum, quod vocant, innatum, sive humidum, sive bilis, sive phlegma, illud sit, temperamentum dici nequit. Reliqua omnia temperamenta rectius morborum, quam temperamentorum, nomine veniunt. Stultitiæ itaque nota absolvi nequeunt, qui gloriosum purant, cholericum videri. Insigniter vero profectos, neque multo a moriæ fastigio distantes, & dignos, quos novo panegyrico ornet Erasmus, illi se putent, qui ad instar asini apud Cumanos leonem fingunt, atque, ut cholericus habeantur, aliis magnos animos, magnifica facta, heroica somnia, generosos morus, &c. persuadere cupiunt; immemores, prudentiores ex prudenter factis, non verborum pompis, judicare, in aliis e contrario tacite ex Phædro regere.

gerere, quod Leo asino venatori respondit: egregia vero vox tua est, ut, nisi te genusque tuum nossem, in simili fuisset metu.

§. XIII.

Porro ex hactenus adductis satis patet, certa & solida temperamentorum criteria non dari, multo minus ad 4. causas primas omnia referri posse, sed diversas circumstantias esse attendendas, quæ vero ob infinitam discrepantiam ita comparatæ, ut minimum pro temperamentis stabiliendis sit remansurum. Quod enim attinet ipsam corporis temperiem, non tantum bilis utraque, phlegma & sanguis inest corpori, sed & ipse sanguis per plurimas particulas varie fingitur. Deinde, animi motus a causis externis magnam partem pendere, inidem dictum. Atque & hic temperamentum animum atque sedatum aliis præferendum, facili argumento concludes, cum vel sola affectuum vehementia corporis temperiem & sanitatem turber. Quod de corporis temperatura diximus, id nervose & concinne NOB. DN. de BERGER, quem ætate & meritis Senioremem Academia nostra veneratur, complectitur, *Physiol. cap. V. p. 109.* Ex eodem fonte ille habundines corporum, quas temperamentorum differentias Medici appellant, eorundemque per vite atque annorum decursum mutationes, manant. Quorum temperamentorum si numerum inire velimus, tot fere constituenda forent, quod sunt individua, quia propter varietatem seminum, ætatis, sexus, vite generis, victus, incolatus regionum, sive æris, aquæ, & locorum, roboris cordis, & pulmonum, ac viscerum aliorum, succum sanguinemque elaborantium, tum

Et motuum, animi pariter, ac corporis, somnique, Et vigi-
 liarum, excretorum, Et retentorum, morborumque, ac re-
 rum aliarum, quibus homines subijcitur, Et mixtio, motus-
 que liquidorum, varie immutatur, datur non definienda par-
 ticularum sanguinis varietas, temperatio, Et motio. Solent
 tamen ea omnia latitudine illorum quatuor temperamento-
 rum, que in vulgus nota sunt, tanquam summorum gene-
 rum, hodieque a multis comprehendi. Nam, quibus san-
 guis ea suarum partium, oleosarum, Et serosarum, tem-
 peratione gaudet, ut motu satis virido, sed blando, per vi-
 scera, partesque omnes corporis, divagetur; hi sanguinei
 vocantur. Ex cujus temperiei, que jure suo optima habe-
 tur, vario excessu in cholericam, vel etiam in serosam Et
 phlegmaticam, aut demum in melancholicam, quas quidem
 vocant, est mutatio: cum partes vel nobiliores, salina, vo-
 latiles, Et oleosa, vel aquosa, molles Et gelatinosa, sive sero-
 sa, exuperant, aut crassa, terrea, Et rigida, minusque mobi-
 les, sed conceptum semel motum tanto deinde pertinacius
 servantes, sanguineam massam insciunt, Et aggravant,
 Et partes agiliores, aereas, atque atbereas coercent ac pre-
 pediunt. Animus autem temperatus qualis esse de-
 beat, edisserit JVL. ALEXANDR. Salubr. L. III. Cap. I. quod
 maxime fiet, si nihil, neque hic, neque ibi immodera-
 ti fuerit, mutuo facilius ita inter se consensu cuncta con-
 ciliabuntur. Nam, que ex animi bonis duci solent signa,
 adesseque nostro huic necesse est, haud temere in alio, pra-
 terquam attemperato, simulque non immodice in utramque
 partem stature corpore reperias, dictis de causis, nimi-
 rum ut inferiores anime partes, qua irascimur, Et qua
 concupiscimus, moderatam utramque obtineat, nec temere
 ric

ric audax, nec formidolosus, sed fortis: nec cunctator, nec
 preceps, sed mature semper consulens; nec crudelis, nec
 temere nimis misericors, sed humanus; non iracundus, nec
 lentus, sed mitis. Capicum autem multorum belluam,
 quam concupiscendi, appetendique vim dicimus, sic natura
 frontatam omni in genere (eo, quod omnium maxime mul-
 tiplex habetur) castigatamque habeat, ut nunquam adver-
 sus rationis dictata caput exerat indomita: neque rursus
 segnis nimis, torpensque: non semper corporea necessitati
 feruiat, sed veluti natura suapte malus quamvis, feroxque.
 Et calcitro equus, atque inprimis petulans, auriga tamen
 vocem audit, Et assuetudine melioris comparis sui ductum
 sequitur: sic hec, quo rationis imperium, ac potioris facul-
 tatis consensus iusserit, persuasa feratur, nec gulonem, aut
 beluonem aliquem faciat: nec tamen obtusi penitus ad hoc
 sensus; non ardelio quidam sit, qui subito quarumcunque
 rerum desiderio rapiatur, nihil nunquam perficiat, neque
 tamen non cum delectu quadam habeat, que amanter per-
 sequatur.

C A P. II.

DE TEMPERAMENTIS JCTORVM IN
SPECIE.

§. I.

Explosum, aut certe restrictum, hactenus i-
 vimus doctrinam temperamentorum. Vbi er-
 go, jam de Jctorum temperamentis nos acturos
 esse, diximus, maxima de nihilo nascitura historia vi-
 detur.

D

derur. Neque etiam illud asserere animus nobis est, ac si JCris alia, eaque a cæteris hominibus diversa, infundatur natura. Metamorphosin enim talem nemo sibi facile persuaderi patietur. Quamvis neque hoc negari possit, eam esse Jurisprudentiæ dotem, ut, dum omnia hominum negotia examini juridico, ad singulas, etiam minimas, circumstantias attento, subjiciuntur, major plerumque fere sagacitas actiones hominum judicandi, & bonum a malo discernendi, JCris, quam aliis, acquiratur. Vnde aut JCrī, si frugi bonæque indolis sunt, meliores, & qui delicta magis cavent; aut, si sunt improbi, callidiores ac dereriores, & qui vitia sua magis tegere student, enascuntur; adeoque suo modo utrumque verum est, JCros esse bonos & malos Christianos.

§. II.

Licet ergo hæc ita se habeant, & studium juris, recte excultum, multum conferat ad judicium acendum, atque consequendam singularem vim ac promptitudinem, separandi ac eruendi causas intricatas & confusas, aliorum fraudibus occurrendi, ex circumstantiis rem ipsam divinandi, ingeniosa aliorum excogitata facillime ad nihilum reducendi; &c. licet præterea vitia adhærentia quandoque ita corrigantur, ut cum Socrate dicere fas sit: *talis eram natura, correxi me arte*; licet rursus non præcise a naturali hominum constitutione ac temperie vitia aut virtutes recte deriventur; tamen & illud certum est, quemlibet hominum suis urgeri vitiis, undecunque, sive consuetudine, sive alio modo,

modo, contractis, ita quidem, ut iste hoc, alius alio, i-
ste plus, alius minus, infestetur. Iterum certum est,
cardinalia propemodum esse vitia, ambitionem, ava-
ritiam & voluptatem, reliqua his aut succumbere, aut
cum iis proxime esse connexa. At & hoc quodam-
modo Apostolus 1. *ιοανν. II. 16.* dum ad *ἐπιθυμίαν τῆς
σαρκός, τῶν ὀφθαλμῶν, & ἀλαζονείαν τῆς βίβης*, omnia refert.
Hæc vitia omnia & singula in cunctis fere hominibus,
gradu licet diverso, conjunctim deprehenduntur, ne-
que præcise a temperamentorum uno recte suspen-
duntur. Nexum ostendere, difficile non est, sed nec
instituti nostri. Vnum saltem paradoxon exempli
causa addam. Avari sunt valde ad rem attenti, eo-
que *ἀκριβέστεροι*; voluptatem vero sectantes sunt levioris
armaturæ milites, ucalegontes, liberaliores &c. Attamen,
si desit, quod voluptatem alat, comitem hæc sibi jun-
git ardorem habendi, ut varios acquirendi modos me-
ditentur. Hinc *Jacob. IV. 3.* *λιτῆτε, καὶ ἂ λαμβάνετε, διότι
κακῶς αἰτεῖσθε, ἵνα ἐν ταῖς ἡδοναῖς ὑμῶν δαπανήσασθε.*

§. VIII.

Quomodocunque itaque vitia illa recensita, & alia,
in homine existant, & undecunque sint acquisi-
ta, parum nobis obstat; id enim tantum jam agemus,
ut videamus, qualis eorum in JCTos sit influxus. Et,
cum omnia ad temperamenta hætenus a plerisque re-
lata fuerint, commodissime nos acturos esse, cense-
mus, si vestigia illa sequamur, & quatuor classes
retineamus, non, quod doctrinam de temperamentis
vulgarem probemus, sed quod illæ classes ita sint ab
D 2 earum

earum DD. ampliatae, ut omnia illuc referri possint. Sancte autem contestamur, animum non esse, quenquam insectari, utpote quod ineptum, scurrile, & viro honesto indignum, arbitramur; atque exinde ipsi abjectum animum, omnisque probitatis & virtutis defectum, arguimus. Verum quis dissertationis scopus sit, ex cap. ult. ita patebit, ut nemo, nisi honestissimum, dicere queat.

§. IV.

Primo ergo, quæ cholericæ temperamento imputari solent, recensetimus. Atque in hoc caput omnium virtutum & vitiorum constitui solet ambitio; (*Ghr. Geiß*;) quam a superbia & arrogantia ita distinguunt, ut ambitionem circa honores, famam, gloriam &c. vel consequendam vel augendam, occupatam habeant. Superbia (*Hochmuth*) respicit dona corporis & fortunæ, cum quis propterea animos sibi sumit, atque, copia sola se tutum, majoremque fortuna, putans, frontem elatam gerit, qualis forte Niobe ab Ovidio describitur. Arrogantia tribuitur iis, qui meritis, atque animi, corporis & fortunæ bonis, omnino destituti, de quo gloriantur, non habent, & nihilominus alio reliquos despiciunt supercilio; vocatur ob eam rem *der Baurer Stolz*. Hæc ignotos quandoque fallit, sed notis est derisui. Superbia invidiæ, odioque facit locum. Ambitio vero quam maxime eminent; collocatur a quibusdam inter virtutes; eos, qui ambitione carere videntur, in facibus humanis reputant. Allegant propterea illud CICCERONIS *Offic. L. I. Cap. VIII. in maximis animis*

mis, splendidissimisque ingeniis, plerumque existunt bono-
ris, imperii, potentia, gloria, cupiditates. Hinc forte est,
quod Herculana scabies jam olim salutata fuerit am-
bitio. Sed, qui Cicerone abutuntur, non memine-
runt alius Ciceroniani effati *Lib. eod. Cap. XXV. miser-
rima omnino est ambitio, honorumque contentio.* Lusu
etiam vocabuli decipitur, quisquis ambitionem inter
virtutes constituit. Si enim ambitiosum voces, qui
nihil turpe, nihil abjectum, nihil vile, nihil se indignum,
suscipit, qui ab una virtute ad alteram contendit, qui
ἕσα προσφιλῆ, ἕσα ἑυθιμα, ἕτι τις ἀεστῆ, ἕτι τις ἔπανος,
meditatur, *Philipp. IV. 8.* qui famam temporis, non ma-
le collocati, affectat, qui in omni laudabilium genere
alios prævertere, absque ullius injuria, studet; hunc,
inquam, ambitiosum si intelligas, nihil aliud, quam bo-
num, honestum, gravemque hominem dixeris, quem
nec vitiosum, sed potius omni laude dignum, quisvis
judicaverit. Et, si putes ambitione destitui, qui vitam
dissolutam, turpem, omnium rerum incuriosam, secta-
tur, & uno verbo in diem sine ratione vivit, non ali-
um, quam hominem deperditum & profligatum, elo-
queris. At ambitionis sensu justo acceptæ alia fors est.

§. V.

Ex ambitione primum, quod justitiæ obstat, est con-
tradicens studium. Plurima, imprimis justiti-
æ administrandæ causa, instituta sunt collegia, quia
oculi plus vident, quam oculus, quo causæ occurrentes
melius expendi queant. Modeste itaque dissentendi
rationes suas exponere, non cuilibet tantum fas est, sed

D 6

&

& ratio officii, ac institutorum Collegiorum causa, postulat, ut id fiat. Ne enim cuiquam injuria fiat, conscientia jubet providere; atqui una circumstantia, ab aliis non eodem modo atenta, totum forte negotium in aliam faciem mutasset. Illam ergo exponi par est. At, qui propterea solum contradicit, ut aliis doctior, perspicacior, prudentior, videatur; vel, ne alius majorem sua pariat famam, spiritum quidem contradictorium, sed & simul ambitionem, graviori reprehensione dignam, & animum minime justitiæ amantem, prodit. Hoc contradicendi studium alias Pædantismi nomine insignitur. Committitur iste potissimum, si quis logomachias excitet, vid. LEYSER *d. Logomach. Ictorum*, si quis suo sensu abundet; si quis absque ulla æquitatis, & analogiæ juridicæ, ratione, jura interpretetur; si quis aperitissimis & evidentissimis veritatibus morose contradicit, ne cessasse videatur &c. Conf. THOMAS *Diff. d. fid. jurid. §. ult.* Magis injurius est, qui, palam contradicere non audens, clam aliorum sententias vellicat, atque, eruditionem a se majorem manucaptam, aliis persuadere cupit. Aliud malum ex ambitione resultans est, nullas posse contradictiones ferre, & putare, ita summam eruditionis laudem, vel alia, a contradicente in dubium vocari, periculum etiam imminere, ne, dum id alii impune licere vident, auctoritas forte parta labem aliquam contrahat. Ergo hoc agunt, ne alterius rationes audiantur, sed citius, quam proferuntur, supprimantur, dum vel in continenti, antequam alter telam orationis pertexuerit, interpellant, vel alias moliuntur artes, conjectu non difficiles.

§. VI.

Ex eodem fonte manat, quod ambitiosi, ne cum vulgo sapere videantur, singulares sectentur opiniones; nova fingere quærant; priora, sive bene, sive male, dicta, indistincte rejiciant; sua tantum commendent; qui vel hiscere audeat, & dissentiat, anathematis fulmine percutiant; & uno verbo, læsam esse suam majestatem ex eo, quod non omnia, ceu ex tripode dicta, suscipiantur, ægerime ferant. Ambicioni propterea quam maxime hæresium origo adscribitur, quia rara excogitare, et excogitata defendere, quærent, retractare autem turpe putant hæretici. Tales hæreses etiam inter JCtos jam olim apud Romanos extiterunt. Notæ sunt Cassianorum seu Sabinianorum & Proculianorum sectæ, de quarum Auctoribus MASCOVIVS d. *Secl. Sabin. & Procul. Cap. I. §. 2.* ait; *igitur, si bis credimus, culpa omnis unius hominis ambitioni tribuenda est, Antistiti puta Labeonis, qui, ingenii luxurians est, & doctrine fiducia sublatus, extra veterum traditionum fines longius evagari coepit.* Hodie, innumeras diffensiones ius nostrum miserrime affigere, alibi conquesti sumus, & profecto culpam ejus rei frequentissime in nullam aliam rem, quam ambitionem, transferre possumus. Subit exemplum cujusdam, qui alii, ex se sciscitanti, quomodo inclarescendum sit, auctor fuit, ut nihil, nisi nova, absurdissima licet, defenderet; ita enim, cum nova tantum proferat, facile ipsum singularem eruditionis laudem consecuturum esse, ajebat, siquidem plerique ad nova obstupescunt, pauci recta lance omnia trutinant, & hinc nullo labore per aliqualem saltem probabi-

babilitas speciem capiuntur. Et res tironi pariter atque Magistro, inclarescendi scabie laborantibus, ex parte feliciter successit. Nam, dicente ERASMO *Adag. Cbil. III. Cent. IX. n. 38. pleraque commendat novitas, potissimum apud impericos.* Ita iustitia, quæ ex vulgato antiquo canone non, nisi una, est, monstrum plus quam Lernaum evadit. Non id volo, si narrarunt vereres, ut nos narremus & ipsi, & si quid injustum aut absurdum est, illud tamen, inepta antiquitatis veneratione, etiam contra conscientiam, reinendum censeamus. Terminum antiquum non movendum esse, tralatitium habetur; at intellige, si iuste sit positus; verum, si secus se res habeat, recte moveretur. Id autem non probandum, si quis mero novandi pruritu, non religione aut conscientia suggerente, sed ostentationis & famæ captandæ causa, nova inventa effingat, atque adeo non iuris interpretem bonum, sed malitiosum calumniatorem, agat, aliorum rationes et bene dicta audire nolir, nihil, nisi quod ipse dicit, rectum putet, et causas non iustitia, sed ambitione sua, moderetur.

§. VII.

Solet porro non raro fieri, ut sententiæ, ab aliis dictæ, ex ambizioso motu reformatur, quo prior iudex minus, posterior vero plus, sapere videatur. Reformationem vero talem, si non ex veris argumentis proficiscatur, omnino damnandam, nemo, puto, inficias iverit. E contrario, si quis pro sua sententia laboret, & id agat, ne reformatio subsequatur, itidem iustitiæ cursum sufflammat. Hinc probe cavendum,

ne

ne quis, affectu vitioso deceptus, jura partium turbet, aut intempestivo pudori ducat, sententiam priorem, si res ita postulet, in melius reformare. Rectissime propterea, ne jura partium periclitentur, in Sax. judices causam, interposita leutatione, ad idem collegium remittere prohibentur. Pertinet huc etiam fiducia Magistratus *l. 32. ff. d. injur.*

VIII.

Immittiores quoque habentur cholericus ac ambitiosus, hinc justo rigidiores censentur. In primis cholericus-melancholicus in poenis infligendis durissimi putantur, ita, ut, quantum fieri potest, poenam atrocissimam irrogent, & sicubi tortura dictanda, gradum intensiorem feligant. Nec desunt judices, qui, cum ipsis ferre sententiam non liceat, id strenue agunt, ut reum, suppressis omnibus omnino defensionis momentis, Nemesi tradant. Videas ita judices sapius in literis, quas missivas vocant, Collegiis juridicis speciales circumstantias, reum gravantes, suggerere, arque, ut hæc illave attendantur, rogare. Verum solent tum Collegia, quibus rei innocentia æque ac puniri curæ cordique est, hæc talia vel plane non attendere, vel, si res aliud flagitet, ut reus de novis suggestis indicibus examinetur, & audiatur, imperare. Impium sane est, sanguinem sicire, & maxime impium, id agere, ut, si ve tons, sive insons, effundatur. Peccant & illi judices, qui non malitia, sed ignorantia, putant, id sibi tantum incumbere, ut reus oneretur indicibus, rei deinde esse, videre, quomodo illa elidat. Ita stupidiore, timidiore, incauti, non jure, sed decipula, capti, forte non

E

raro

raro pereunt. Inprimis, si unquam, certe in tortura dictanda, moderamine opus est. Ea enim nec juri divino, de quo duo testes requiruntur; *Deuter. XVII.* nec rationi factis convenit, & ipsa jura civilia rem fragilem, periculosam, & quæ veritatem fallat, agnoscunt, *l. 1. §. 23. ff. d. quest.* Nam, qui maxime sunt improbi, & indurati, facillime tormenta ferre, constat, & isti, testante *l. c.* patientia, sive duritia, ita eadem contemnunt, ut exprimi eis veritas nullo modo possit; alii e contrario tanta sunt impatientia, ut quodvis mentiri, quam pati tormenta, velint. Exempla, quorum innocentia, sumto jam supplicio, manifesto detecta est, non sunt rara, casu enim ita ferente, sæpius complures circumstantiæ concurrere possunt, quæ innocentissimum pręgravare videntur. Taceo, apud Rom. torturam non in reis ipsis, si liberi homines fuerunt, sed vilissimis personis & servis tantum, quorum ut alias, & in hoc capite miserrima nec humana conditio fuit, obrinuisse. Pręstat scrupulosiorem & tardio rem ad torturam dictandam esse, quam curare ambiguis tormentis lacerandum, qui eadem facilitate innocens, atque nocens, esse potest.

§. IX.

In vitii cholericorum etiam hoc reputatur, quod semel offensi non, nisi vindicta prius sumpta, placentur, juxta illud Sauli *z. Sam. XXIV. 20.* וְכִי-יִסְצֹרֶה אִישׁ אֶת-אִיבוֹ וְשָׁלַח בְּרִירָה טוֹבָה vel secundum Poëtam:

Est vindicta bonum, vita jucundius ipsa.

Modi, quibus ultionem exercent iudices interdum, quo-

quomodo potestate judiciaria abutantur, quomodo clam nocere posse gaudeant, ut recenseamus prolixè. opus non est, cum innumeræ utique dentur circumstantiæ, quibus iudex, si vult, torquere partes valet. Qui quam turpis sit iustitiæ abusus, sponte patet. Non jam disputo de ratione, qua multo gloriosius est, non ulcisci, ubi posses; qua ex inimico redditur amicus; qua pudore suffunditur alter, cum generositate, qua ipse caruit, in alio deprehendit. Elegans ejus rei exemplum sistit Saul *l.c.* Conscientiam non memoro. Non dico, quæ ipse Salvator de inimicis diligendis præcipit. *Matth. V. 44.* Prætereo exemplum Christi, omnibus imitandum torques in sacris literis propositum. Id saltem discere gestio, qua fronte ulciscendi cupidus animus orare DEVM poscit, remitti sibi debita, sicut & ipsi remittimus debitoribus nostris. Nihil pejus, nihil impudentius, nihil improbius dici, aut cogitari unquam potest, quam diris quibusvis hostem devovere, & si liceat, eundem orco tradere, nihilominus tamen DEVM omniscium & καρδιογνώστην accedere, atque petere, ut eodem modo, quo ipse orans remittit aliena παραπτώματα, & sibi peccata remittantur. Svadendum ergo iudici, ut, sicubi se læsum ab alio putat, vel plane decisione abstineat, vel ita rem agat, ut omnibus constet aperte, nihil iræ, nihil odio, esse datum.

§. X.

Pergimus ad melancholicos, quibus communiter avaritia tribuitur. Sordidum hoc vitium sit oportet, quod pecuniæ, quibus iudex se corrumpi patitur, sordes appellari soleant. Verum avaris bonus lucri odor est ex

E 2

re

re qualibet. Committitur, non tantum sordes accipiendo, sed etiam sperando, quale quid in Felice *act. XIV.* deprehenditur. Deinde nec præcise, ut pecunia interveniat, opus est, sed, qualecunque lucrum sit, nihil interest. Itaque sola mutua gratificatio juxta illud *Mich. VII. 3.* והשפוט בשלום השר שואל וְהַשְׁפֹּט בְּשָׁלוֹם

judicem in crimine constituit. Porro, si mutuum rogetur, aut emtionis, vel alius contractus velamento, quid postuletur ab eo, cujus causa debitoris vel emtoris decisioni committitur, res in speciem fordium redit, cum facile videat rogans aut emens, alterum vix recusaturum, petitis annuere, aut qualecunque oblatum pretium accipere, ne invidiam judicis incurrat, atque ita causa cadat. Imo est hæc subtilis ad corrumpendum invitatio, qua alteri, forte simpliciori, suggeritur, quid faciendum, si victor fieri velit. De personis interpositis, quæ, quod ipsi judici non licet, accipiant, dicere non opus est, cum hæc & alia omnia *ad tit. ff. repetund.* ubi vis ex causa reperiantur. Add. in primis *l. ult. C. ad L. lul. repet.* ubi pariter, neque, finito officio, accipere fas esse, cavetur. Et in Cam. Imp. Affectores hunc in modum juramento obstringuntur. **LAVTERB. Coll. Pract. tit. repet. §. 8.** Add. **Cammer-Ger. Ordn. P. I. tit. 71. & P. III. tit. 63.** Vltterius ergo jura progrediuntur, quam ex Theologis **BALDVIN. Cas. Consi. Lib. IV. Cap. XII. Cas. 9. in fin. p. m. 378.** si vero post judicium & hanc sententiam aliquid honorarii loco, & pro adhibito studio, in promovendo negotio, judici offeratur; tanquam grati animi significatio tuto potest accipi. Rectius profecto jura sentiunt. Ita enim mille fraudibus janua patefieri; judices

dices in ejus favorem, a quo aliquid speratur, pronunciant, & e re quicquid videretur, facerent &c. Rursus avaritiæ litant, qui pauperibus attestata paupertatis negant, ne ipsi sportulis postea carere cogantur, aut pauperibus non, nisi solutis sportulis, jus reddunt. Quamvis multis sportulæ loco salarii sint, tamen officia pietatis & caritatis non sunt negligenda. Memento talis morosus exactor servi, cujus mentio fit *Matth. XVIII. 28. seq.* Avaritiæ quoque effectus est, si in gratiam Judicis, ne acta aliorum transmittat, exigua sportularum fit moderatio, aut partes facilius, quam par est, in expensas condemnantur, aut ad alia judicis vitia a lctis connivetur. *Conf. LEYSER. Diss. d. assent. ICt. Cap. IV.* Quapropter, iudicibus sua salaria assignari, de reliquis vero gratuita constitui officia, optandum. In primis etiam Advocati huic vitio frequenter succumbunt, dum causas, quas ipsimet injustas agnoscunt, solo lucro allecti, defendendas suscipiunt; ut plures sportulas capiant, processus reddunt prolixiores; adversarium, in expensas condemnandum, multis sumtibus, onerant, uti sæpissime in causis injuriarum videas fieri. Sed, ubi hoc advertunt sententiam ferentes, expensas superfluas abjudicant, aut ipsam, qui causam illis dedit, ad eas restituendas condemnant. Horrendum vero dictu, quandoque ab Advocatis, sive avaritia, sive ambitione, ne causa cecidisse videantur, ductis, clientibus perjuriam persuaderi, certe non impediri. Ex eodem capite resultat etiam turpe prævaricationis crimen.

XI.

Aliud vitium, timor, melancholicis adscribitur, qui tamen etiam in sanguineos, phlegmaticos, & cholericos,

lericos, si cum superioribus res ipsis sit, vel circumstantiæ ita ferunt, cadere potest. Ex isto sequentia mala in Iurisprudentiam manant. Si causa superiorem concernat, aut ab eo commendetur, ne malam ejus ineant gratiam, incommodumque aliquod sibi accersant, conscientiam gratiæ sæpe fortasse J.Cti postponunt. Oportandum, quaslibet commendationes instar attentatæ corruptionis coërceri. Qualescunque enim sint, animus judicantis turbatur, & efficitur, ut commendantis argumenta penitus inspiciantur, & iis vel plus, quam par est, tribuatur, vel injustitia commendantis velocius deregatur, atque facilius contra ipsum respondeatur. Quandoque, si causa sit Principis, aut fisci, contra illum pronuntiare dubitant. Quo tamen metu J.Cti Saxonés summa SERENISSIMORVM ELECTORVM indulgentia sunt liberati. *Conf. Appell. Ger. Ordn. de anno 1605. tit. End des Præsidenten und Besizer.* Huc etiam referendum, si quis Præsidi, vel aliis Collegio assidentibus, contradicere, suamque contrariam sententiam, & rationes, proferre non audeat. Eodem censu dignus, qui, metu quorumcunque hominum aut circumstantiarum, vera dicere aut scribere non sustinet, sed justitiam tempori inservire jubet. Quale quid fieri solet sæpissime in justitiariis, qui, ne jurisdictio mandata revocetur, non raro scribunt, expediunt, omittunt &c. prout e re Domini visum fuerit, vel iste postulaverit. In causis Collegiarum, coram Collegio pendencibus, multa in gratiam, quandoque etiam in odium, fieri, alibi dictum, & simul, Dominum coram proprio judicio, collegasque coram Collegio, cui assident, litigare posse, improbatum. Ex eadem

eadem ratione, ne Collega coram eodem Collegio postulet, æquum est. Conf. LIB. B. de WERNHER. *Vol. I. Obs. VIII. p. 15.* verb. *fateor tamen, rectius Senatores a causis, Coram Senatu defendendis, abstinere, atque adeo laudanda esse Rescripta, quibus hoc passim interdici solet.* Iterum propter metum quandoque vobis plane abtineatur, aut causa quomodocunque suspenditur, aut tertia opinio eligitur. Non raro etiam Advocatos metus occupat, ut contra hunc illumve justæ causæ assistere, coram judicio jura clientum fati defendere, judicique contradicere, &c. vereantur.

§. XII.

Quoniam etiam judicio destitui, & tantum memoria valere, creduntur melancholici, hinc auctoritatis, antiquitatis, & infantia, præjudicio laborare putantur. Sententias itaque, quas tirones hauserunt, tenaces retinent, atque a Doctoribus suis nec larum unguem discedere tentant, illos solos magnificiunt, alios omnes damnant, & multo suis Doctoribus inferiores putant. Satis ipsis est, jura memoria tenere; in veritates autem inquirere, rationes excutere, & alia, judicii acumen desiderantia, perficere, non posse, & propterea tantum antiqua probare, existimantur. Interdum etiam novandi appetitu corripiuntur, ambirione quippe accedente, item subriles videri cupiunt, itaque nodum in scirpo sæpius quærunt, componenda distinguunt, speculationibus, circa res nauci, indulgent, & cum sua subtilitate ad inania, ridicula, absurda, imo & impia, delabuntur. Et iste est Pædantismus supra commemoratus. Exemplis hujus affectatae subtilitatis Jus Rom. fati est refer-
tum.

tum. Testatur id materia legatorum, hæreditatum, ser-
 vitutum &c. Causis decidendis, quod confusis
 ideis laborant, male adhibentur. Opinioni de cau-
 sã justitia aut injustitia semel conceptæ, sive ambitione, si-
 ve morositate, pertinaciter inhærent, eamque vel plane
 non, vel difficillime, deserunt. Dubiis pariter tot im-
 mergi dicuntur, ut ipsi eluctari nesciant, hinc Scepticos
 producit hoc temperamentum, qui dubiis suis, et-
 iam de rebus, sole meridiano clarioribus, crucem Ad-
 vocatis figere student. Suspicionem etiam plus,
 quam par est, dicuntur melancholici fovere, & propterea
 minora quoque indicia & facta pro sufficientibus ad tor-
 turam accipere. In Advocatis vero desideratur, quod
 judicio sufficienti destituti causas ordine iusto & nervose
 proponere nesciant; inde illorum scripta obscuritate, ac
 inepta & inordinata prolixitate, meraque confusione, le-
 ctorem fatigent; item incongruorum, nec ad rem facien-
 tium, argumentorum farragine laborent; & sic, dum
 nauseam legenti creant, id efficiant, ut causa minus bene
 ob nimiam prolixitatem perpendatur, ejusque jactura ex
 hoc solo vitio non raro sequatur. Si hic melancholico-
 rum est character, in nullo ordine plures melancholici
 existant oportet. Magna siquidem Advocatorum
 pars suas deductiones non judicio, non argumentorum
 pondere, non ordine, non vi dicendi, meretur, sed inepto,
 proluxo, confusoque scribendi genere utitur, & de re plane
 indubia, quæque tribus verbis edifferi potuisset, multam
 foliorum copiam absument, eoque solidam juris scientiam,
 aut alteram Petri partem, deesse, non obscure prodit. Cer-
 tum enim est, quo jurisprudentior quis est, eo concinnio-
 ra,

ora, solidiora, & nervosiora, ab ipso expectari posse.

§. XIII.

Superstitio itidem melancholicis adscribitur. Ex hac multis profecta videntur privilegia, causis piis magno numero concessa. Conf. LIB. B. de WERNHER. *Diss. de eo, quod circa pias causas impium est, quæ inserta est select. observ. Vol. VII. p. 13. seqq.* Ad eundem fontem referunt complura personis Ecclesiasticis indulga jura singularia, quæ tamen pleraque ipsi magis sumserunt sibi, quam quod eadem sint concessa. Id vero nihil habet superstitiosi, quod in Clericis animus injuriandi haud præsumatur, nam & idem in Magistratibus fieri solet, & generalis est pro omnibus, quod rationes officii observarint, præsumtio. Cæterum neminem memini, qui de nimio erga sacerdotes favore in judicando conquestus fuerit, Clericorum vero querelæ contrariæ de Præfectis & justitiariis frequentiores existunt. Et paucos hodie fore puto, qui Calovii exemplo, cuius meminit LEYSER. *præf. ad Tr. de assent. Actorum*, aliquid effecturi sint. Illud vero aut improbæ cavillationis, aut superstitionis est, si iudices interdum ius reddere sub prætextu, quod pars improba sit, & multis sceleribus innotuerit, recusant. Ira manifesta profopolepsia, quæ tamen summopere iudici interdicta, exercetur. Reddendum ius est cuique, sive probus, sive improbus, ille sit. Hinc, quamvis durum videatur, ratione tamen nititur brocardicum: nec diabolo defensionem esse denegandam. Id autem non improbamus, si iudex in suspecto litigatore accuratius investiget, annon calumniæ causa lis moveatur.

F

§. XIV.



§. XIV.

Sanguinei domesticam habent præcipitantiam, inadvertentiam, inconstantiam, credulitatem, intemptivam misericordiam, & similia. Præcipitantia prohibet, quo minus iudex causam accurate & debite cognoscat, sed hoc vitio laboranti sufficit, obiter rem inspexisse, & aliquid statum causæ didicisse. Ergo, si tentanda amica compositio, eadem levato velo, argumentisque levioribus, tentabitur. Si acta legenda, perfunctorie res agetur. A sententiis definitivis, quæ profundiorē cognitionem desiderant, abstinetur, & annon interlocutorio decreto res terminari possit, cogitabitur. Putant etiam, Sanguineorum esse, sententias priores confirmare potius, quam reformare, quia hoc operosiorē rationum excussionem desiderat. Et breviter id agere creduntur, ut quam minimo labore defungantur. Inadvertentia efficit, ut partes, quas coram audire debet iudex, minus attente audiat, & propterea sæpe alium sibi statum causæ fingat, quam re vera est. Idem acta legenti accidere potest. Inconstantia in hoc se exerit, quod modo hanc, modo aliam, sui ipsius immemor, sententiam sequatur iudex. Sub quo tamen ipso vitio quandoque corruptio vel alia ratio, latere potest. Credulitatis est, quæ Advocati vel partes vera venditant, talia credere & habere, neque probationem exigere, cum e contrario summum totius Jurisprudentiæ caput sit probatio, & iudex nihil admittere possit aut debeat, quod non probatum sit. Neque hic, quisquis sit asserens aliquid, nec.

nec probans, fidem meretur. Frustra ergo aliquando actionem injuriarum quis reservavit, eo, quod sibi in dignitate constituto non crederetur. Nec tamen vicissim tanta incredulitas esse debet, ut, si reus pro sua defensione factum narret, atque sint circumstantia, huic narrationi respondentes, omnia nihilominus falsa habeantur, donec evidens probatio accesserit. Intempestiva misericordia peccat, qui poenas, nimis graves putans, suo arbitrio mitigat, qui reorum lacrymis moveatur, aut inde innocentiam concludit; ita enim foeminae, quae, ut flerent, oculos erudiere suos, facile omne supplicium effugere possent. Plerumque improbissimi suam innocentiam quam prolixissime contestari didicerunt.

§. XV.

Sanguineis etiam nimiam in alterum sexum indulgentiam exprobrant. Quid Justiniano obiecerit Procopius, aliique hodiernum, non est, ut multis exponatur. Eloquitur ipse cor molle suum, & satis effeminatum, *l. 12. C. qui pot. in pign. quis enim earum non misereatur, propter obsequia, quae maritis praestant, propter partus periculum, & ipsam liberorum procreationem. Sc.* Lepidas habes decidendi rationes. Ab hoc ergo multa in iure nostro foeminarum privilegia constituta deprehenduntur. Quomodo hunc Antesignanum suum, mulieribus obsequendo, Jcti sequantur, edisserit LEYSER. *cit. Tr. de assent. Jctorum Cap. IV. §. 6.* Quandoque favoris erga foeminas singularis causa subest, talis nempe, qualis effecit, ut in Senatu Parisiensi partus, mense decimo quarto editus, legitimus reputatur.

rum. Ita mitiores in carnis delictis puniendis putantur sanguinei, nam graculus graculo affider. Valde autem sanguineum fuisse oportet, qui libidine intemperata cupiditatis ex lectione actorum exarsit, & ancillas compressit. *l. 25. C. ad. L. Jul. d. adult.* Si plures sui similes haberet, magna cautione in actis distribuendis opus foret.

§. XVI.

Cum etiam sanguinei jocosis delectari perhibeantur, hinc forte est, quod Advocatis multis solenne sit, jocis, dictariis ac scommatibus alterum insectari, & sale urbano perfricare. Jocis vero etiam phlegmatici indulgent, frigidis tamen aut rusticis. Et talia plerumque sunt Advocatorum convitia. Sed prudens quis fuerit Advocatus, dictariis abstinet, & meminit, puerile id esse, convitiis agere, quod argumentis agi debet, infirmitatemque, aut judicii, aut scientiæ, a prudentioribus inde colligi. Tribuitur enim iudicium mediocre admodum sanguineis. Conf. *BYDDÆI Elem. Phil. Pract. Cap. III. §. 86.* Verum id esse, inde, iudico, quia plerumque multum eloquentiæ, parum sapientiæ, inter jocos latet, sive, scripta quidem satis sunt proluxa, sed argumenta elumbia, exsanguia, & insipida. Animadverti propterea, frequentius causa cadere istos jocosos homines. Id pariter lucri referunt, quod, dum aliis risum movere quærunt, ipsi simul ridiculi fiunt. Præterea summa cum nausea leguntur futiles eiusmodi deblaterationes & battologiæ, sæpe gerris Siculis & anilibus ineptiores; tempusque, quod ipsi Advocati melius impendere debebant, & iudicantes poterant,

ita misere perdendum est. Aderent illi quandoque relationi Actorum, & audirent titulos, quibus egregii isti di histriones insigniuntur, discerent, ingeniosos scomatatum architectos inter homines ineptos, absurdos, imprudentes, capita ridicula, ne quid gravius dicam, referri.

Tandem ad nobilissimas phlegmaticorum virtutes progredimur. Illi sibi quidem assimilantur, sed profecto ita describuntur, ut sibi longe sint inferiores. Tetigimus iam præced. cap. somnolentiam, oscitantiam, &c. Sed uno verbo: soli ventri obedire, & ætatem ignavia transigere, dicuntur. Multa etiam, quæ de sanguineis prædicantur, itidem de phlegmaticis, at tamen in perfectiori gradu, asseruntur. Sic, quæ in phlegmaticis audit ignavia, sanguinei per vulgatum: *festina lente*, commendatum sibi habent. Galli vocant *commodité*. Imprimis putatur facile conviviis & poculis horum favor conciliari. Ergo fieri non potest, quin iudices ita constituti omnia in gratiam sui Evergetæ faciant, & nulla corruptionis specie corrumpantur. Videntur id Norimbergenses olim in Imperatore Wenceslao observasse, dum aliquot amphoris vini id effecerunt, ut ex nexu illos dimitteret. Pocula quoque in usum solent vocari, si iudiciorum arcana velis explorare, si quidem foecundi calices faciunt disertos, tisque ora solvuntur, & in bona caritate multa alteri produntur. In genere vero in memoriam sibi revocent iudices, quod de comperatoribus habetur *Prov. XXX, 4, 5*. Per ignaviam juvenes adhuc ita studiis invigilant, ne caput

magis prægraverur, & quo dici possit: *in Codice studu-
istis modice, in Digestis nihil potestis &c.* Sunt soli-
citi, annon anguis aut Leo in labore lateat, a quo la-
cerentur, *Prov. XXII. 13.* Vlcus esse laborem arbitran-
tur, quod tangere periculosum. Quales deinde fru-
ctus ab eiusmodi hominibus expectari queant, & quam
egregie litigantibus per hos ignorantia fratres, sive
Judices illi sint, sive Advocati, consularur, nullo labo-
re intelligitur. Judices facti omnia, quam fieri pot-
est, negligentissime curant, seria tutius in craftinum
differrî, judicantes. Hinc querelæ, nullas obtineri posse
resolutiones, nullas emitti citationes, causas longo tem-
pore non expeditas jacere &c. Non raro acta dicuntur a-
missa, nec constat, quo casu id factum. Vbi tamen negari
non potest, sæpius id fieri malitia, quam negligentia; &
propterea in genere gravissimam poenam in actorum
jacturam statui convenit. Si sunt Advocati, fatalia ne-
gligunt, sportulas quidem urgent, sed non labores, cau-
sas ita curant, ne, qui semel eorum opera usus, redeat,
laboresve nimium cumulerentur.

§. XVIII.

Hæc occasione temperamentorum dicta sunt. Sed
nolim, putes, te non esse phlegmaticum, melan-
cholicum, ergo de his, quæ dicta sunt, ad te nihil perti-
nere. Occasio hæc saltem dicendi fuit, modulus jam
non ad temperamenta, sed vitia recensita, capiendus
est. Porro nolo, putes, omnia esse hæcenus enumerata.
Neuriquam. Multo mihi plura supersunt. Id solum
volui docere, quomodo ignorantes sæpe peccare pos-
simus. Sic v. g. immitiores in illos, qui delictum tem-
pera-

peramento suo contrarium commiserunt, iudices feruntur. Itaque graviolem poenam ab ambitioso iudice, incuitu officii injuriis affecto, expectandam esse, monent. Iridem, qui, mutato vitæ genere, sanctiorem vivendi rationem elegerunt, vitia, quibus ipsi ante erant imbuti, magis aversari, &, foeditate eorum satis perspecta, in talia multo rigidiores, habentur. Circa testium examina, in iudicis favorem, iudicium, prudentiam, diligentiam, omnia redire, res ipsa loquitur. Committe examen homini ἀκριβες ἔργου, & rursus sordidi, obiter omnia curanti, &c. qualis differentia sit, experiere. Porro motus privati, & cuiuslibet singulares, adeo decisiones causarum variant, ut, qui misericordiae frater existit in uno, sit truculentus in alio. Sic, cui perfidia & technæ sunt invisæ, in omnia, quæ hoc punctum feriunt, durus est ultor. Qui læsus est uno delicto, adeoque, quam ægre tale quid concoquatur, didicit, rigidior in illud censor est aliis. Qui plurimas fraudes commisit, casu emergente, in illas accurarius inquirere novit, quam alii, eadem experientia non imbuti. Hinc filii huius seculi prudentiores lucis filiis, εἰς τὴν γενεάν τὴν αὐτῶν, Luc. XVI. 8. Qui in aliquo delicto habitum contraxit, illud parvi æstimat, & propterea ita delinquentibus favet, ut, si liceret, omni poena reos absolveret; cum vero non liceat, levi de causa inculparum venia dignum iudicet, aut certe mitigandarum poenarum causas exactius, quam in aliis delictis, calleat, easque strenue urgeat. Porro ambitiosi aut vindictæ cupidifiducia Magistratus per fas & nefas procedunt, & dum confidunt, hoc illo in casu appellationem non
 rece.

receptum aut rejectum iri &c. pro lubitu causas decidunt. Hinc, in causis levioribus gravem sæpius inferri partibus injuriam, animadvertere licet. Imo audias quandoque, qui partibus, non omnia sancte accipientibus, apostolos refutatorios summa cum indignatione pollicentur. Ad sanguineos referri posset, quod tumultuario procedendi modo causas definire ament; (Germani vocant, durchfahren/) ne multo sudore, in causa accuratius inquirenda, opus sit. Tumultuaria decisio interdum judici quidem permittitur, sed cum alibi, tum in Saxonia, juxta *N. P. O. tit. V. s. 6.* denen Rechten und seinem besten Wissen und Gewissen nach. A legibus ergo scriptis recedere fas non est. Multa alia ex *FESTING. Dissert. de artifice. Advocat.* huc transcribi potuissent. Posset ulterius quæstio moveri, num salva conscientia Advocatus in causa bona possit fraudibus uti; num fas sit litem negative contestari, quod aliqui affirmant, quia nemo tenetur se probationi subjicere; ego vero nescio, qua quis conscientia v. g. mutuo exacto, negare queat, se mutuam accepisse, quod tamen revera accepit. Multa itidem peti possunt ex *STRYK. Diss. de fact. jud. de facto. &c.*

CAP. III.

DE VSV DOCTRINAE TEMPERAMENTORVM.

S. 1.

Finem dissertationis nostræ non, nisi honestissimum, futurum, neque in cujusquam injuriam nos dicturos, scripturosve quicquam esse, supra con-

condiximus. Id vero agimus, ut moneamus, quanta
 iustitiæ impedimenta etiam iis, qui intemeratos The-
 midis se cultores putant, non advertentibus obrepant,
 atque ex iustis præter ipsorum spem ac opinionem in-
 justos reddant. Multa enim sub specie quadam recti
 hominibus se commendant, atque, ut termino Medico
 utar, vehiculo aliquo animis hominum, nec intel-
 ligentium, se insinuant, quæ accuratius tamen exami-
 nata, & sub incudem revocata, criminis nota absolvi ne-
 queunt. Pluribus id ex *Gregorii moral.* illustrat DANN-
 HAVER. *Theol. confc. T. I. P. I. Sect. II. art. III. §. 70. p. m.*
151. Prius complexionem uniuscujusque antiquus hostis
 prospicit, & deinde laqueos tentationis apponit. Alius
 namque letis, alius tristibus, alius timidis, alius elatis mo-
 ribus est præditus. Quo igitur adversarius occulta facile
 capiat, vicinas complexionibus deceptiones parat. Quia
 enim lætitiæ voluptas insita est, letis moribus luxuriam pro-
 ponit, & quia tristitia in iram facile labitur, tristibus
 discordiæ poculum porrigit; & quia timidi supplicia formi-
 dant, paventibus terrores intentat; & quando elatos ex-
 tolli laudibus conspicit, eos ad quæque voluerit, blandis favo-
 ribus trahit. Singulis igitur hominibus vitiiis convenien-
 tibus insidiatur. Neque enim facile captivaret, si aut lu-
 xuriosis præmia, aut avaris scorta proponeret &c. Sic er-
 go in tentationis ardore callide singulis insidians vicinos
 moribus laqueos abscondit. Verissima hæc esse, ex se-
 quentibus palpabile reddetur.

§. II.

Quilibet hominum fere suum serpentem in sinu fo-
 vet

vet, id est, vitioso quodam affectu prædominante laborat, quem omnibus modis alit, sustentat, cui indulget omnia. Singula alia vitia perstringere, alienos nævos recensere, quid, & quomodo reformari hoc illudve debeat, suggerere, novit; sibi ipsi incognitus id manticæ, quod in tergo est, non videt. Sic voluptati deditus summopere aliorum avaritiam detestatur, prædicat *avtáp-nsiav* &c. Ambiciosus fusque deque habet voluptatem & avaritiam, quatenus honorem aut famam lædunt, cæterum in utraque non abstemius. Avarus spernit voluptates, nisi, ubi quæstus inde redit, honores non dignitate, sed stipendio, metitur. Vicissim avaritiam formicæ industria, sorditiem Curii frugalitate, excusat. Ambitioni indulgens virtutem illam putat, & contrarium vile ac abjectum existimat. Voluptatem venantes frontem hilarem, ingenium excitatum, sed innoxium, media quamvis in libidine, præ se ferunt, imo & in abusum trahunt scripturæ dicta de gaudio in Domino. Hinc emergit justitia quædam particularis, quam plerique hominum colunt. Rarius invenias, qui coelum terramque miscent, & omnia omnino officia erga DEVM, semet ipsos, ac proximum, vilipendunt. Sed unum alterumve studiose observant, reliqua negligunt. Ad minimum sunt tales, qui crimina reliqua fugiunt, sed unum affectum prædominantem excipiunt, & aut extenuant, aut conscientiam contra latrantem variis excusationibus mulcent, atque, dum hanc fundi sui calamitatem ignorant, aut non curant, in perniciem ruunt.

§. III.

Jubent itaque Theologiæ moralis Doctores, primo, se

se ipsum sedulo excutere, & τὸ γινῶθι σεαυτὸν valde commendatum habere, quo affectus prædominantes noscantur. Pertinet huc pariter mandatum divinum *I. Cor. XI. 28. & II. Cor. XIII. 5.* Cognitis illis, præter preces, obices quovis modo ponendi, & affectibus prorumpendi ansa præscindenda. Id ut rite fiat, cum in genere, tum in specie circa connexa, nihil elevandum, nihil excusandum, nihil leve putandum, sed, monente **GVIL. AMESIO** de *consc. Lib. II. cap. XII. §. 3. p. m. 72.* summa cum diligentia & cautione in iis rebus, quæ minutulæ habentur in mundo, versandum est. Solet enim diabolus non tantum primario naturales respicere affectus, sed etiam ex iis id, quod minimum est, principio persuadere, commodas quoque occasiones captare, deinde vero ad ulteriora progredi, & ab his tandem ad alia scelera pergere, donec plane impius & induratus quis evadat. Porro justitiæ particularis cultoribus probe inculcandum, quod, qui legem in uno transgreditur, fiat πάντων ἕνοχος, *Jac. II. 10.*

§. IV.

Inprimis sub prætextu peccati venialis perniciose peccari, nimiusque misericordiæ divinæ abusus committi solet. Plurimi enim sibi **DEVM** dimidium tantum concipiunt, id est, solam misericordiam, omiſſa justitia, commemorant, cum tamen tanta sit in **DEO** ad puniendos reprobos necessitas, quanta est ad suscipiendos poenitentes propensio. In contrarium ergo tenendum, misericordiam ad neminem pertinere, nisi, qui juxta *Mattb. XI. 28.* sit κοπιῶν καὶ πεφοβητισμένος, reliquos omnes esse filios iræ. Præterea veniale peccatum in se & sua natu-

ra nullum est, quia omne contra Legem DEI committitur, & in ejusmodi transgressores mitior mortis poena non datur. Quod autem hoc illudve veniale sit, proficiscitur in renatis ex imputatione meriti Christi. Et per hoc non imputantur renatis, quæ absque proposito, & consensu, sola præcipitantia, ignorantia, inadvertentia, aut infirmitate, citius, quam noscuntur, pertrantur. Propter continuam enim poenitentiam, continuas ad DEVM preces, & quia ipsa infirmitas pios miserrime torquet, ipsique, si integrum id esset, etiam hanc cum vitæ quoque dispendio ponerent, vis peccati non magis abolere potest gratiam divinam, quam parentum amor tollitur erga liberos, per omnia morigeros & probos, at semel infeliciter lapsos. Inde, ut peccatum veniale sit, requirunt Theologi, & supponunt, fidem Christi merito innixam, spiritum vincentem, & carnis dominium prohibentem, defectum consensus antecedentis & consequentis, denique poenitentiam quotidianam. Plura de peccato veniali, infirmitatis, ignorantia &c. qui desiderat, conferat CHEMNIT. *Loc. Theol.* QVNSTEDT. *Syst. Theol.* §, qui omnia systemata superrant, GERHARD. *Loc. Theol.* in quibus & rationis, & revelationis fundamenta, Ecclesiæ, sive Patrum, testimonia, theologia thetica, polemica, ascerica, conscientiarum, &c. omnibus numeris absoluta habentur.

§. V.

Neque ergo promiscue de peccatis venialibus sentire, & huc quæcunque referre, aut peccata in se levia judicare

Judicare, fas est; maxime, cum graviter etiam in ea, quæ venialia aut levia putamus, DEVM animadvertisse, vel, ut Srylo Theologico loquamur, in regentis etiam castigasse peccata, quæ venialibus accensemus, exempla doceant. Comprobat hoc primo historia Vhsæ II. *Sam. VI. 7.* Hujus peccatum fuit, quod, cum vereretur, ne arca in terram caderet, illam apprehenderit contra *Numer. IV. 15.* Hoc ipsum in textu Hebr. non dicitur peccatum, sed *לשגג error, imprudentia.* Nihilominus eum percussit Dominus, ut subito moreretur. Notanter etiam, ab illo tempore Davidem magis DEVM timere didicisse, additur. Nobismet ipsis nos relictum id forte nec improbassemus, sed bene factum, ob bonam intentionem, pronunciaassemus, deinde errorem tanta poena dignum haud judicassemus. At habes, quo censu apud DEVM peccata inadvertentiæ, præcipitantiæ, imprudentiæ, veniant. Eodem exemplo moniti Davidem sequamur. Idem iste David graviter peccavit, dum populum sibi subiectum curavit numerandum. *I. Paralip. XXI. vel juxta alios XXII. 1.* Hoc ipsum externa facie aut nullum aut leve peccatum videtur, cum jam sæpius ante Davidem numerus Judæorum fuerit initus. Itidem Mosis, quod bis percusserit rupem, cum semel tantum percutere debuisset, Palæstinam intrare non licuit. Peccatum uno loco commemoratur incredulitas, altero innobedientia. *Num. XX. 12. 13. Deuter. XXXII. 51.* Posteriolem excusares forte, quia ex ira & impatientia in Judæos murmurantes profecta videtur, ut sola præcipitantiæ accusari possit. Diffidentia seu

dubitatio est peccatum, etiam sanctissimos exercens. Quare totam hanc de Mose historiam peccatis infirmitatis expresse annumerat QVENSTEDT. *Syfl. Theol. P. II. Cap. II. th. 78. p. m. 935.*

§. VI.

Hæc ideo retulimus, ne vitia superius enarrata leviter, venialia, animadversione div. indigna, existimantes, iisdem liberalius indulgeamus, sed vel minimam *αὐτοψία* esse *ἀμαρτία* reputemus, atque ad severam omniam censuram exigamus. Plurima enim hominum pars sola peccatorum attenuatione perit. Quod si ergo, his expensis, JCRUS officio suo rite defungi velit, exuat oportet omnes affectus, ut hominem summo opere moderatum, cautum, attentum, neque crudelem, nec misericordem, & talem fere, qualem supra *Cap. I. sub fin. ex Jul. Alex.* repræsentavimus, agat. Et in hoc antiquorum Philosophia, de affectibus eliminandis, non penitus est damnanda. Hi enim sunt, qui homines a justo tramite præter spem & opinionem seducunt. Ambitiosus itaque abstineat *νεβδοξία*, & observet illud *Gal. V. 24.* ac meminerit, se justiciam non suo, sed DEL nomine, administrare. *II. Paralip. XIX. 6.* Nullam aliam quærat laudem, quam Aristides apud Athenienses obtinuit. Alioquin bis peccat, semel ambitione, deinde juris iniqua detorsione. Vno verbo imiterur Salomonem orantem *I. Reg. III. 9.* Avarus memento maledictionis & prohibitionis *Deuter. XXVII. 25. Exod. XXIII. 8.* & sciat, accipi-

accipientes munera cum DEO non mansuros esse. *Psalm. XV. ult.* Timidus recte faciendo neminem timeat, præter DEVM, cui soli in gehennam præcipitandi est potestas; *Luc. XII. 5.* de reliquis plena fiducia ex *Ps. LVI. 5. & 12. CXVIII. 6. & 8. 9* atque *Hebr. XIII. 6.* dicat: Κύριος ἐμοὶ βοήθης, καὶ ἡ βοήθηθήσομαι, τί ποιήσῃ μοι ἀνθρώπος. Sequatur summam Davidis πληροφροσίν, *Ps. XVIII. 30. & Ps. XLVI.* Recordetur, quod *Prov. XXIX. 25.* scriptum, & innumera illorum exempla, in quorum necem omnium mundus conspirasse videbatur, & nihilominus mirabili plane modo evaserunt. Ne putet, miracula hodie defuisse, vix ergo sperari posse repentinum aut miraculosum auxilium, sed id credat, homines aut propter incredulitatem impedire, ne miracula fiant, *Matt. XIII. ult.* aut nihilominus quotidie talia fieri, sed hæc tanquam vulgaria non attendi. Vix homo reperietur, qui non singulari modo periculo manifesto sit liberatus. Habet miraculum, sed non DEL, verum fortunæ, beneficium putat. Quod ad reliqua circa melancholicos recensita vitia attinet, salubrius consilium suggerere nescio, quam quod habetur *Jac. I. 5. εἰ δὲ τις ὑμῶν λείπεται σοφίας, ἀιτείτω παρὰ τῷ δίδόντος Θεῷ πᾶσιν ἀπλῶς.* In genere per *1. c. 5. 17. πᾶσα δόσις ἀγαθὴ καὶ πᾶν δῶρημα τέλειον ἀνωθεν* exorandum est. Quæ circa sanguineos & phlegmaticos monita, assiduo labore & industria sponte emendabuntur, solatii vero loco habebunt, quod *Gen. III. 19.* scriptum est, ac scient, post preces contra peccata nullum labore firmius dari præsidium.

§. VII.


Excessus hactenus JCrorum vitia; sed, ne reliquæ disciplinae, quæ nobis exprobreant, habeant, addimus, & inter Theologos & inter Medicos, qui similibus laborent, dari, atque pleraque ad eisdem applicari posse. Cui lubitum est, percurrat classes supra memoratas. Dantur, qui non DEL gloriam, sed suam; dantur, qui non animas, sed nummos, querunt. Sunt, quibus idem inest spiritus contradictorius, idem septicissimus, idem timor in redarguendis superioribus, eadem sanguinis & phlegmatis confectaria. Inter Medicos existunt, qui magis doctrinam & subtilitates ostentant, quam ut, quid salutare sit, investigent; qui doctrinæ confidentia potius, quam ex artis regulis, mederi morbis gestiunt; qui, cum in locum alius assumuntur, hunc contemnunt, & quæ salutaria ab alio propinata medicamenta ipsi agnoscunt, nihilominus reprobant, ne ille, dum ejus velligia legunt, prudentior videatur; qui singulares methendi methodos, arcana multa, venditant, ne cum vulgo sapere videantur. Sunt & melancholici multi, qui, quod exiguo sumtu & vel una herba sanari potuisset, per ambages agunt; qui morbos graviore persuadent, quam sunt, quo majus sequatur honorarium, aut gloria major inde capiatur; qui timori quid dant, dum, ubi plures simul in consilium adhibentur, inferiores superiori, juniores seniori &c. contradicere non audent; qui præjudiciis sectarum laborant; qui negligentia, inadyvertentia, præcipitantia corripuntur, & morbo nondum explo-

explorato, medicamenta porrigunt; qui socordia aut Scepticismo curam ægroti derelinquunt. At omnium gravissimum illud est in Medicis, quod multi ægrotis spem vitæ longioris faciant, & vim morbi dissimulent, bona quidem intentione, ne alter timidior redditus sola phantasia morbum auget. Deinde, ubi de vita ipsi desperant, tandem instantem mortem nuntiant, & coelestia nunc meditari ægrum jubent, sed, quid inde? Ita, dum consultum misero cupiunt, eundem in immensum miseriarum barathrum præcipitem dant. Jam vires desunt, ut meditationibus factis non amplius sufficiant; jam amor vitæ turbat; jam mors instans gravissime de salute laborantem angit; jam conscientia, tortor internus, sedet, atque totius vitæ acta, tempusque turpiter & impie collocatum, quam accuratissime, anxia repetit memoria; oculis DEVS iratus, coelum clausum, inextinguibilis gehennæ ignis, peccata ante levia, jam ad insuperabilem montium magnitudinem exaltata, obversantur; jam videntur Angeli discedere, & damnorum cohortes animam exhalatam præstolari; accedit diabolus desperationem sufflans, omnia salutis scripturæ dicta detorqueus, &, ad mortis candidatum non pertinere, solite inculcans. Itaque deinde bene multi medios inter ejularum & tristissima æternorum cruciatuum prælagia extinguuntur, qui tamen, si mature de preparatione ad mortem moniti, neque inani recuperandæ saniratis spe lactari fuissent, instar flagrantis torris de medio igne rapi potuissent. Nec unius momenti labor est, conversionem operari. Relata habemus exempla, ubi per multas horas, imò dies, ægris cum desperatione consistendum fuit, donec tandem non intermissis & ardentissimis precibus id effecerunt, ut animus tranquillaretur, atque summam in DEVM fiduciam ipsi contestari possent. Et profecto errat, quisquis exemplo malefici, cum Christo crucifixi, momentaneam faciliæque conversionem, eamque vel sola orationis dominicæ recitatione absolvendam, probare contendit. Nam, ut tale quid probetur, non sufficit, fidei declarationem in cruce factam allegare. Sed, allegandum est factum, ex quo pateat, cum, in crucem ageretur, nondum fuisse poenitentem. At hoc deficit. Hæserat ille sat diu in carcere, supplicium ultimum se manere, sciverat, poenitentiam ut ageret, satis spatii fuerat relictum, Messiam, quia Judæus, non ignorarat, fidem ergo generalem in Messiam prævia poenitentia procul dubio ante conceperat, & saltem in cruce Jesum agnoscendo Salvatorem, determinarat, Conf. *Matth. XXIII. 39. seqq.*

J. VIII.

Sed putare noli, nos falcem in alienam messem mittere, in plerisque recensitis dolus aut culpa concurrit, adeoque ad forum JCrorum pertinent. Non raro enim istis crimina Pastorum & Medicorum dijudicanda offeruntur. In singulis vero his nullus alius finis propositus est, quam monere, quomodo peccata non opinantibus obrepentia culpa ac poena, certe in foro div. non careant, & propterea solite vitanda sint. Ut hunc finem assequamur, & qui ejusm. vitis se laborare sentiunt, morita nostra attendant, atque ut & illi, & nos, cunctis liberemur, submissis DEVM precibus rogamus.





WITTENBERG, Diss., 1733

ULB Halle

002 408 449


3



SB α

W. H. J. Schickelmeier + f







DISSERTATIO JURIDICA ¹⁸³³
DE

EMPERA-
MENTIS JURE-
CONSULTORVM,

QVAM

PRAESIDE

IDER. WERNHERO, D.

PROV. SCABINAT. ET. FAC. JURID. AS-
SESSORE RESP. SVBST.

ADEMIA VITENBERGENSI
ET SIVE AVDITORIO JURIDICO

D. APRIL. MDCCXXXIII.

PVBLICE VENDILANDAM
PROPONET

S FRIEDERICVS MEINHARD
DRESDENSIS

EX OFFICINA SCHLOMACHIANA.

36
11
24a

7

